ARCHIVIO STORICO COMUNALE
GUALDO TADINO
5
ARCHIVIO PREUNITARIO

Pergamene del Secolo XVI°

12

R.mi D.ni humillimi ac devotissimi oratores terre vestre Gualdi orantes Deum optimum ut prosperis auspiciis sub V. R.me D. regimine Gualdensis populus gubernetur supplicant ut ad perpetuam utilitatem et pro tranquillitate et quiete universitatis et hominum dicti loci illa dignetur concedere que in infrascriptis capitulis continentur.

In primis placeat V. R.me D. omnia et singula per R.mum et optime memorie Antonium de Monte olim Card.lem et perpetuum gubernatorem dicte terre tam communitati quam hominibus singulis dicte terre indulta et quomodocumque concessa confirmare et sue auctoritatis robore communire ita ut semper firma et illibata perdurent. Placet

24 Item cum homines dicte terre non sine maximo incomodo carere possint proprietate et fructu pratorum quorundam in montibus eiusdem terre sitis, que hactenus per Cameram et officiales eius et ministros ac agentes R.mi Gubernatoris vendi soliti sunt ad herbam et fenum et precia in utilitatem eiusdem gubernatoris converti per singulos annos, non sine incolarum et hominum Gualdensium detrimento, Placeat V. R.me D. omnia prata predicta ubicumque in dictis montibus posita quorum annuus redditus quadraginta ducatos auri de Camera non solet excedere communitati dicte terre Gualdi concedere et ad illius plenum ius reducere: hac tamen lege ut si dictus redditus excedit summam dictorum quadraginta ducatorum de Camera, illud plus pertineat ad Cameram prefatam. Hac tamen V. R.me D. quam futuris gubernatoribus in eorum adventu ad dictam terram per tempus quo ibi moram traxerit pro omnibus equis quos habuerit de sufficienti stramine feni seu palee providere dicta communitas teneatur cum potestate capiendi possessionem propria auctoritate. Placet

Item ne propter loci distantiam appellantes et recurrentes ad V. R.mam D. in criminalibus executiones indebitas patiantur placeat decernere ne post appellationem interpositam, ut recursum petitum in causis criminalibus dominus locumtenens ut alii officiales V. R.me D. executiones facere non audeat, dummodo pena excedat viginti libras. Post mensem vero nisi aliud habuerit in mandatis per litteras V. R.me D. ad arbitrium exequantur. Placet

Postremo ut pax in dicta terra vigeat et inter homines Gualdenses inimicitie et odia cessent, et scandalorum materia succidatur, Placeat V. R.me D. omnibus et singulis condempnatis et non condempnatis qui ex delictis hactenus commissis penam aliquam et ultimi supplicii ex quocumque crimine pati deberent pace habita ut humiliter petita ab iniuriam passis ut eorum heredibus misericorditer et plenarie indulgere: Ita ut deinceps bene vivendo possint in dicta terra sine metu pene liberi permanere, et penam aliquam ex causis preteritis non formident. Ea conditione ut qui post hoc indultum crimen aliquod grave commiserit eo ipso reincidere intelligatur in omnes penas quibus erat ante hanc remissionem puniendus et plus arbitrio domini locumtenentis. Placet

Ita est et concedimus A. C. palmeng

[illegible]

Concessioni del Card.le Palmieri

1533 principio
del suo Governo

Capla d. Palmerij